



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punct. Diffic. 1. De Signo distinctionis quod est Separabilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Punctum Difficultatis 1.

De Signo Distinctionis, quod est Separabilitas.

DOCEt Communis Sententia, quod separabilitas ad utriusque permanentiam sit signum distinctionis realis.

PROBATUR I. Si ad distinctionem realem non requireretur separabilitas ab utraque parte, modus esset rigorosè res, quia modificatum potest sine illo existere, quod autem separabilitas ipsa requiratur ad distinctionem realem ostendit Auctoritas Aristotelis 7. Topicorum cap. 1. tex. 15.

PROBATUR II. Impossibile est idem à se ipso separari, esset enim idem & non esset, quod implicat. Ergò quæ sunt separabilia realiter, non sunt idem realiter.

PROBATUR III. Impossibile est dividi quod indivisibile est. Ergò & à se ipso separari, quod idem est. Ergò è converso, quæ sunt separabilia, non sunt idem.

DICES I. Terminus & fundamentum, stante relatione non possunt à se separari, & tamen terminus & fundamentum, stante relatione sunt distincta realiter. Ergò possunt esse aliqua distincta realiter, & tamen non esse separabilia realiter; quod terminus & fundamentum stante relatione à se separari non possint, probatur; quia si stante relatione possent terminus & fundamentum separari, & esset relatio tunc & non esset, non esset, quia relatio requirit necessariò cum sit ad aliud, & esset relatio, quia dicis illam stare sine terminò.

RESPONDERI potest. Fundamentum & terminus stante relatione non possunt à se separari, ratione identitatis in entitate. Nego Antecedens, non possunt separari ratione dependentiæ, relationis &c. Concedo Antecedens. Ergò fundamentum & terminus non sunt distincta realiter. Nego Consequentiam.

DICES II. Posita explicatione corporis Christi, vel alicujus accidentis in pluribus subjectis positi, erit illic separatio quoad locum, nam Christi Corpus est in Cælo & in Eucharistia, quæ loca sunt separata, & tamen Corpus Christi ita replicatum, non habet distinctionem realem. Ergò ex separabilitate, male arguitur distinctio realis.

RESPOND. Corpus Christi replicatum, non est distinctum realiter à se ipso; quia in alterutro loco, non esset jam Corpus Christi sed alicujus alterius à Christo. Unde negatur esse illic separabilitatem propriam & quæ arguere possit distinctionem realem, separabilitas enim propria facit & divisionem & supponit, ut hoc, non sit hoc, cum tamen idem sit in pluribus locis corpus Christi, consequenter à se ipso non divisum, nec separatum propriè.

DICES III. Essentia divina est in re conjuncta Paternitati, & eadem numero natura, est separabilis à Paternitate, quatenus est conjuncta Filiationi, & tamen realiter Paternitas & natura non distinguuntur. Ergò separabilitas, non arguit distinctionem realem.

RESPOND. Negando illic esse separationem, quia licet communicetur natura Filio, non communicatà Paternitate, non tamen separatur à Paternitate, cum revera Paternitas seu Pater, sit in Filio per circumcissionem, circuminfectio autem, excludit separationem.

DICES IV. Animal quod est in homine, potest separari ab homine cum sit commune bovi, & tamen animal ab homine non est distinctum realiter. Ergò.

RESPOND. Animal quod est in homine, non idem in individuo est comune realiter bovi, adeoque non idem in individuo separari potest ab homine, consequenter nec idem realiter, distinguitur ab homine. *Hec tamen communis doctrina*

NON SATIS FACIT in hoc. Quia assumit non omnia distincta realiter in creatis esse separabilia realiter, quod doceri quantum potest non deberet, nam si datur, quæri tale debet signum modalis distinctionis, quod conveniat omnibus omnino modis; ita & signum distinctionis realis quæri debet, quod conveniat omnibus omnino, distinctis realiter. Quod ipsum exinde etiam stabilitur, quia, si nihil plus communi huic explicationi addatur, possent esse aliqua distincta realiter, quæ nullum haberent signum distinctionis realis, idque ex communi sententia, prout proponitur, accepta. Intentum probatur; Possibile est tale ens, quod necessariò ad sui positionem dicat & exigit positionem alius entis, cum eoque unionem talem, ut sine ea, ne divinitus quidem manere possint, ut contingeret, si esset materia essentialiter determinata, & ad unionem & ad formam non nisi unum: itemque si iidem forma, ita esset determinata: possibile item est ut eadem entia, non habeant ullam oppositionem producentis & producti. Denique ut nullam habeant propriam subsistentiam sed non nisi communem, in tali casu illa entia essent distincta realiter, ut ipsa suppositio vult, entitas enim unius non esset entitas alterius, & tamen nullum signum distinctionis realis tunc haberetur, quod est absurdum. Indigebit ergò hæc communis sententia modificatione, de qua

infra.

* *

Punctum